C TEMPERAMENTVM.

Osyridi amara ineſt qualitas, & obſtructiones aperiendi, adeoq; ut calida ſit neceſſe eſt. Amara nanq;, Galeno lib. iiij. cap. x. de ſimpl. medicament. facult. teſte, qualitate prædita, omnia calida ſunt. Sic etiam eodem autore lib. v. cap. xi. eiuſdem tractationis, ſingula quæ poros & meatus expurgant, ab infarctuq; liberant medicamenta, calida ſunt & tenuiũ partium. Vehementer itaque errant, qui Linariam frigidam & humidam eſſe aſſerunt. Et certè præter ea quæ iam dicta ſunt, uel hoc uno argumento erroneam illorum ſententiam confutare omnium maximè licebit. Cum etenim Linariæ urinam mouendi facultatem ineſſe ſcribant uulgares etiam herbarij, colligitur illam non eſſe frigidam & humidam, quandò Galeno libro iam citato cap. xij. atteſtante, omnia quæ urinam ducunt ex acrium atqueadeò calidorũ & ſiccorum ſint genere.

Linaria non eſt frigida.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Huius decoctum potum morbo regio affectos iuuat.

EX GALENO.

Osyridi, ex qua medicamenta ad exterendam leuigandamq; cutem, Græci ῥυπτικὰ uocant, fieri ſolent, amara ineſt qualitas, & obſtructiones expediendi facultas. quare & in iecinore conſiſtentes obſtructiones adiuuat.

ῥυπτικὰ enim nõ ſolum ſcopas, ut quidam arbitratur, uerumetiam κόσμητρα, Suida & Phauorino teſtibus, hoc eſt, comptoria & uenuſtantia facie medicamẽta græci dixerũt: è quorum ſanè numero Osyris eſt, quæ cũ amara ſit, extergere etiã quæ ſunt in corpore, facie potiſſimũ, maculas poteſt. Hinc recte Plinius ex eius foliis mulieribus, utpote quæ plus alijs comere & uenuſtare faciem ſolent, ſmegmata fieri tradit.

EX AETIO.

Osyris eſt herba ſubfruticoſa, tenuibus uirgulis, fractioni renitentibus, foliis Lino ſimilibus, nigris primo, poſtea ſubrubeſcentibus, guſtu amaris, unde regio morbo conferunt.

EX PLINIO.

Smegmata mulieribus ex Osyridis foliis faciunt. Radicum decoctũ potum, ſanat arquatos. Eædem priuſquã matureſcit ſemen conciſæ, & ſole ſiccatæ, aluum ſiſtunt. Poſt maturitatẽ uerò collectæ, & in ſorbitione decoctæ, rheumatiſmis uentris medentur, & per ſe tritæ ex aqua cœleſti bibuntur.

DE OCIMO. CAP. CCVII.

NOMINA.

OCIMON Græcis, Ocimum Latinis, recentioribus Græcis Βασιλικὸν, id eſt, regium appellatur, quod nomen apud omnes noſtræ ætatis herbarios & officinas uſurpatur. Sunt tamen quibus Ocimum gariophyllatũ nominetur. Germanicè Baſilien/uel Baſilgram dicitur. Ocimum autem quibuſdã à naſcendi celeritate dictum eſt, ſiquidem à ſatu tertio ſtatim die emicat. Quod uerius Ocymo uidetur conuenire, quod pabuli & farraginis quoddam genus eſt, ſic nominatũ ab ὠκὺς græca dictione, quæ citò ſignificat. Proinde ſunt qui ſignificantius per z ſcribendũ ducant Ozimum, ab ὄζω, quod redolere denotat, quoniam herba tota ſuauiſsimũ ſpiret odorem. Ab eodem odore, quod baſilica & regia domu dignum ſit, Baſilicum hodie nuncupatur.

Ozimum cur dictum.

Baſilicum.

GENERA.

Sunt qui duo Ocimi cõminiſcantur genera: unum latiora folia habens, quod priuatim Baſilicum: alterum anguſtiora, quod Ocimum gariophyllatum appellant. Nos tria tibi exhibemus ex uno promiſcuè ſemine nobis nata. Primũ maioris diſcriminis ratione Ocimũ exiguũ, Germanicè klein Baſilien/nominauimus. Alterum mediocre, Germanicè mittel Baſilien. Tertiũ magnum, Germanicè groß Baſilien uocauimus. Neq; enim niſi foliis ſolis diſtare uidentur, quæ in primo genere exigua admodũ ſunt, in altero uerò paulò latiora, in tertio primi reſpectu latiſſima. Odor autem omnibus tribus unus idemq; eſt.

FORMA.

OCIMVM EXIGVVM.